MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80105-4

AUTHOR:

LEO, FRIEDRICH

TITLE:

PLAVTI VIDVLARIA

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

[1894]

Master Negative #

91-80105-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Leo, Friedrich, 1851-1914.
...De Plavti Vidvlaria; commentationem praemisit Fridericvs Leo. Gottingae. Prostat in aedibus Dieterichianis, [1894]
19 p. 24½ cm.

At head of title: Index scholarvm... in Academia Georgia Avgvsta per semestre hibernvm a d. XVI. m. octobris a. MDCCCLXXXXIV vsqve ad d. XV. m. martii a. MDCCCLXXXXV habendarvm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-24-91 INITIALS M. B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

1.—

INDEX SCHOLARVM

PVBLICE ET PRIVATIM

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PER SEMESTRE HIBERNVM

A D. XVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXXXXIV
VSQVE AD D. XV. M. MARTII A. MDCCCLXXXXV

HABENDARVM.

DE PLAVTI VIDVLARIA

COMMENTATIONEM PRAEMISIT

FRIDERICVS LEO.

GOTTINGAE
PROSTAT IN AEDIBUS DIETERICHIANIS.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

WOLDEMARVS VOIGT

CVM SENATV.

Plauti Vidulariae fragmenta ter edidit Studemundus, post eum Winterus et, cuius editio his diebus prodiit, Goetzius. atque prima quidem et principe editione a. 1870 Studemundus id egit ut duorum foliorum Ambrosianorum lectionem proponeret et de fabulae argumento quid ipsa et fragmenta a grammaticis servata docerent indicaret, alteram a. 1882 notulis grammaticis auxit, tertia est in apographo codicis rescripti Ambrosiani; cuius apographi admirabilem fidem nec demi neque addi sibi multum pati Goetzii, qui codicem denuo inspexit, adnotatio ostendit. neque enim ad rem pertinet ecquid non viderit successor quod Studemundo apparuisse compertum sit. de lectione igitur quae sciri possint cum Studemundo debeamus, viri docti sibi persuasisse videntur etiam de emendandis et interpretandis poetae verbis atque de argumento fabulae quaestionem a Studemundo ad finem perductam esse; saltem praeter Winterum, qui de uno alterove versu aliquid novi protulit, nihil quisquam in horum fragmentorum interpretatione profecit, ac ne temptavit quidem. tamen de fabula attica agitur, de argumento Diphilio, de versibus Plautinis.

Prologum excipit in Ambrosiano primus fabulae versus:

hominem semel quem usurpavit servitus.

sic emendavit Studemundus: quod in codice scriptum est *usu rupit* nec ioco nec serio dici potest. Plautus num talem sermonem

hiare iudicaverit, ea alia quaestio est, quam in hac disputatione omitto. servum loqui audimus, initium fabulae est quale Captivorum Menaechmorum Truculenti atque etiam Rudentis, quae item soliloquium habent post prologum. inscriptum scaenae nomen est, cuius hae reliquiae incertarum litterarum Studemundo apparuerunt: — *s . . s . us*, tertia ante finem ut fuerit *e* vel *p* vel *t* vel *i*. adnotat ille nomen non fuisse Cacisti, quod adnotatum gaudeo qui aliunde sciam Cacistum huius fabulae personam servum non fuisse. reliquiis aptum est nomen quale *Aspasius*, quo interim utar. unus igitur ille in ipsius fabulae principio versiculus servatus est, sequitur lacuna sex, ut Studemundo visum est, foliorum, quorum ultimi paucae litterae supersunt, perierunt versus CCXXVIII, periit tota fabulae expositio et actionis initium; nempe in ea scaena cuius magnam partem servatam accepimus, adulescens ait v. 20 *te ego audivi dicere, operarium te velle rus conducere.* unde sequitur adulescentem iam antea in scaena fuisse, deinde senem cum alio quopiam prodiisse et adulescentem eius sermonem aucupasse; quae ad ipsius actionis, post expositionem scilicet incipientis, initia pertinent. audimus Nicodemum adulescentem, quem naufragum egentem piscator senis vicinus domum receperat (v. 54 *ubi habitas? hic apud piscatorem Gorginem*), Diniae seni suam operam collocare velle. ergo aut naufragium illud et naufragi in hospitium receptio ab Aspasio in soliloquio illo narrata sunt, aut Nicodemus naufragus advenit et a piscatore ante spectatorum oculos in casam deductus deinde Diniae sermone audito quo pacto victum sibi parare posset commonefactus est. utro modo rem poeta instituerit nullo modo dici posset nisi fragmenta nonnulla suppeterent a grammaticis adlata. quorum duo sine dubio ad expositionem fabulae pertinent. alterum est frg. XIII G.

paupera haec res est,

quae verba sunt invitantis et parvas opes simul excusantis, qualia sacerdotis in Rudente, quae v. 280 puellas item naufragas et post principia fabulae in scaenam progressas adfatur: *manus mihi date, exsurgite a genibus ambae; misericordior nulla me est feminarum. sed haec pauperes res sunt inopesque, puellae; egomet vix vitam colo, Veneri cibo meo servio*: talia piscator ille Nicodemo dixerit. alterum item paucorum verborum est:

haec myrtus Veneris est,

quae cum fragmento VI coniungens Goetzius tam non aptum sermonem effecit ut virum elegantis iudicii non agnoscam. dicit ista

aliquis notorum sibi locorum situm inscienti vel peregrino explicans, ut fieri solet in fabularum atticarum initiis, velut Phaedromus Curc. 14 et 39 *hoc Aesculapi fanumst, lenonis hae sunt aedes*, Euripides Aristophanis *ἐνθάδ' Ἀγάθων ὁ κλεινὸς οἰκῶν τυγχάνει*, hospes Oedipo advenae interroganti: *τίς δ' ἔσθ' ὁ χῶρος; τοῦ θεῶν νομίζεται;* respondens *ἄθικτος οὐδ' οἰκητός· αἱ γὰρ ἔμφοβοι θεαί σφ' ἔχουσι, Γῆς τε καὶ Σκότου κόραι*, velut in Rudente sacerdotis verba supra exscripta Ampelisca excipit interrogatione *Veneris fanum, obsecro, hoc est?* ergo piscator vel servus naufragum adulescentem, nam adveniente opus est, de regione certiorem faciebat. cui scaenae unice convenire apparet fragmentum IX

eiusdem Bacchae fecerunt nostram navem Pentheum

(ubi scribendum esse suspicor *eius dei*) et apte convenit frg. VIII

inopiam luctum maerorem paupertatem algum famem.

quorum fragmentorum duo septenarios faciunt, unum septenarium incohat, quartum ad septenarium pertinere potest.

Iam quae Nicodemus et Dinia, quorum nomina alio loco in Ambrosiano ascripta sunt, inter se colloquantur videamus. sic folium incipit:

ẹsṭ quo — ṇẹque [ṭẹṃp]ụṣ c̣ẹṇsẹọ

ubi Studemundus *tempus* supplevit, Goetzius etiam *p* ante *us* vidisse sibi visus est. tamen non reticebo coniecturam meam supplendum esse potius:

N. Est quo[d velim te. D.] Neque [tibi s]uscenseo.

sequitur

N. Quid ais? licetne? D. Maxume, siquid est opus,

ubi *siquid* bibreve ad eorum versuum similitudinem accedit quorum duo tresve ex Plauto et Terentio Skutschius attulit (Plautinisches und Romanisches p. 9: Stich. 67 And. 258, cf. Epid. 526), quibus addendi sunt versus Stichi 182 *nulli negare soleo, siquis me essum vocat* (*ne* vel *me essum A, essum me P*), Aul. 340 *turba istic nulla tibi erit, siquid uti voles*, cf. Ter. Heaut. 551, cuius versus ambigua condicio est, et in Bembino Heaut. 631 Phorm. 643. audivit igitur, ut diximus, Nicodemus operarium rus conducere velle Diniam atque bonum operarium se ei dare posse dicit. senex non statim intellegit:

D. Est tibi in mercede servos quem des quispiam?
N. Inopia seruum ị . . ẹ . . . . . . o ṃẹ loc —

ubi Buecheleras *est* addidit: *inopia servomst*, et sententiam effecit, deinde temptavi *i[ta] f[it ut eg]o me loc[em*, nam post *i* . . utrum *e* an *f* in codice sit incertum est; Goetzius *ipse tibi ego me loco*. secuntur haec

D. Quid tu locastinc —
nam equidem te m — — itror
N. Non sum, siquidem tu no —
verum si pretium das, du[ces te]cum simul.

quartum versum Studemundus supplevit, de primo hoc temptavit: *quid tu? locastin q[uaeso te umquam quoipiam]?*, de mediis duobus talia: *te m[i esse serviturum haud arb]itror* et *no[n vis me conducere]*, quae non magis, immo minus sufficiunt quam Winteri supplementa: *nam equidem te molliorem ad haec esse arbitror. non sum, siquidem tu non conduces gratiis*, qui alterum saltem versum argutiis donavit, quibus olim totum sermonem insignem fuisse verba ut texta sunt persuadent. comparebunt si scripseris:

D. quid? tu locas te? no[n, ut opinor, serio;
nam equidem te m[ercennarium haud esse arbitror.
N. non sum, siquidem tu no[n vis mercedem dare,
verum si pretium das, duces tecum simul.

primo autem versu pro *tinc* eodem iure legi posse *teno* Studemundus adnotavit. infra fortius repetit Dinia (v. 44) *non edepol equidem credo mercennarium te esse.*

Qui proxime secuntur versus difficultatem non habent. adulescentem delicatum et urbanis magis deliciis quam opere rustico exercitum vix inducitur Dinia ut serio se in opus collocare velle credat. sic v. 35 ait

mollitia urbana atque umbra corpus candidumst,

regerit ille

Sol est ad eam rem pictor, atrum fecerit,

ubi *aerum* quidem est in codice, sed quod Studemundo pulcrius visum, *Afrum*, simplicem sensum non illiciet. deinde versus 37 sq. male habiti sunt:

(q)
c
heus cunil . . illic estur — — s o —
misero male ess . . . . con . . . . . ne —

ubi apparet ambigue efferri *male esse*, ut et id ipsum significet et *male edere* (cf. Capt. 178). ergo Dinia dixerat ruri apud se male edendum esse. quodsi Studemundus adnotat, pro *cunil* . . fortasse

in codice esse *cuameis* et ipse monet non satis ex usu *heus* sine vocativo praemitti enuntiato nec interrogativo nec imperativo, nihil probabilius videtur quam *a meis* verum esse et *cu* leniter corruptum, loqui igitur senem sic fere:

heus tu, a meis illic estur [satis duru]s c[ibus,

velut Hegio Capt. 185 sq. suum victum asperum (cf. 497) et terrestrem appellat, et Nicodemum respondere:

misero male ess[e fuerit] con[senta]ne[um.

etiam quod sequitur adulescens dicere videtur. namque haec

t o
o e s
quod abs et (*vel* te) . . . c p . . t quaesso ut m[ih]i impertias

quod seni tribuit Studemundus et eum quaerere putat quid boni a Nicodemo expectare possit, vellem aliquo sermonis exemplo versum supplevisset et indicasset quomodo verbum illum significatum ferre posset. dicit aliquis 'da mihi quod oro', id adulescentis est, deest verbum eius significationis cuius est postulo. sed quoniam Dinia ipsam rem credere nolebat et iam Nicodemus pluribus verbis ei persuadere studet ut se conducat, aptius videtur eum de veritate petitionis suae aliquid adicere. qualis orationis forma fuerit

quod abs te [pet]o, p[et]o: quaeso ut mi impertias,

quo modo locutus est Rud. 1229 *si sapias, sapias* et Poen. 874 ubi recte in Ambrosiano legitur *qui homo eum norit, norit*, scilicet ut verbum primum solita notione ponatur, deinde significanter magis. sed illum Vidulariae versum felicius puto alii restituent. pergit Nicodemus:

si tibi pudico [homine] est opus et non malo,
qui tibi fidelior sit quam servi tui
cibique minimi maxumaque industria,
minime mendace, em me licet conducere.

ubi *homine* Studemundus inseruit et *mendace* correxit, nam in codice est *mendacem;* sed dicendum est de v. 41, quem ut dedi Winterus scripsit, cum Studemundus temptasset *qui fide ne peior sit quam servi sunt tui* vel *servi ceteri* vel etiam *qui fide fidelior sit.* in codice haec vidit:

qui fide . . peior sit quam servi tui

ubi quod Goetzio prima fuisse visa sunt *qui tibi*, id prae Studemundi testimonio non multum valet, qui *t* quidem pro *f* legi posse

adnotavit, item *p* vel *t* pro *e*, non *i*. sequentia, ut tantum quae pari iure legi possint repetam, sic notaviṭ: $^{et}_{li}$*pe.* iam quid poeta scripserit dubium non esse mihi videtur. vide talia Plautina: Rud. 319 *viti probrique plenum*, 65 *fraudis sceleris parricidi periuri plenissimus*, Mil. 22 *nec gloriarum pleniorem quam illic est*, 90 *plenus periuri atque adulteri*, 512 *dedecoris pleniorem*, 783 *cui facetiarum cor pectusque sit plenum et doli.* hoc igitur scripsit:

qui fidei plenior sit quam servi tui,

ut Ennius de Flaminino *ille vir haud magna cum re, sed plenus fidei* vel in titulo non vetusto C. I. L. X, 4763 *et fidei plena pietate nobili vixit.* in codice autem extare vel extitisse existimo *fide[i p]leior.* senex adhuc dubitat, sed ut sequentia docent, tandem omittit dubitationem; nempe admodum lacerati sunt versus 44 sq.:

non edepol equidem credo mercennarium
te esse. (N. An) non credis? noṇ..... oṇdu[ci] ịrṃị —
ṇ   st ḍicat simul
                                                                   operarium
ịaṃ   unde conducam mihi
multum labor[et p]aullum mereat, paullum edi[t.

v. 45 *an* addidit Studemundus. idem de ultimis *irmi* adnotavit, pro priore *i* legi posse *e*, *s* vel etiam *a*, pro *m* cogitari posse de *bi*, pro altera *i* legi posse *e* vel etiam *t*, post *irmi* non plures quam duas tresve litteras extitisse probabile esse. haec qui consideret, exiisse versum dicet in *arbit[ror]*, dixisse igitur Diniam *non bene conduci arbitror*, quae sententia tali excipi debebat: tamen conducam, quod talibus verbis pronuntiari poterat: *nisi quia probus videris.* sed de hoc versu nihil amplius tempto, quia *dicat* quo pertinere possit non video, nisi eodem modo quo v. 50 *faciat* pro *faciam*, sic hic *dicat* pro *dicam* scriptum esse coniciam. scilicet Diniae sermonem tali fere modo continuandum esse apparet:

                                                   operarium
iam [qualemcumque unde]unde conducam mihi,
multum laboret, paullum mereat, paullum edit, 49

quibus sic fere praelusisse senem probabile est: *sed dicam simul, ne post scivisse te neges.* tripertito sermone utitur v. 49, ut ille in Menaechmis: *dictum facessas, datum edis, caveas malo*, vel in Truculento: *me videre vis, te a me ire postulas, puerum petis*, et saepissime alias, cui sermoni adhaerere non debent quae secuntur v. 50:

minus operis nihilo faciat quam qui plurumum,

quae praesertim iam occupaverit senex dicens *multum laboret.* sed haec esse Nicodemi: *minus operis nihilo faciam quam qui plurumum*, Studemundus dixit; ad tria scilicet ille respondet, quae exscripsi de labore, deinde de mercede et cibo his verbis: *nec mihi nisi unum prandium quicquam duis praeter mercedem.* satis igitur ipsa oratio evincit cuius personae sit v. 50, etiamsi non v. 51 a *nec* incipiat. addit autem ad cenam se domum iturum esse, quippe habitare se *hic apud piscatorem Gorginem.* respondet Dinia, quae ultima sunt huius folii verba: *vicinus igitur es mihi, ut tu praedicas.*

Hic igitur scriptum est nomen eius piscatoris qui Nicodemum hospitio exceperat. Gorgo audit Studemundo et Goetzio, miro modo; nescieram qui Gorgo esset Gorginem fieri, aut qui Mago Maginem. *Γοργίνης* est ab adiectivo quod est *γοργός* ut *Σμικρίνης Λεπτίνης Αἰσχίνης* ab eis quae sunt *σμικρός λεπτός αἰσχρός*.

Sed perierunt inter illud folium, de cuius lectione diximus, et alterum quod restat quattuor folia secundum Studemundi computationem, qui prius illud secundum, alterum septimum quaternionis folium fuisse docet apogr. praef. p. XXV. desunt igitur versus fere centum quinquaginta. quorum non multi finem colloquii inter senem et adulescentem effecisse videntur, qui deinde una rus abierunt ut v. 69 sq. docent. in scaena videmus, ubi alterum folium incipit, Cacistum aliquem, cuius nomen sequentis scaenae inscriptio praebet, et Gorginem, qui post pauca verba abit, sed Gorginem esse id ipsum ostendit quod vicinas Diniae aedes habet. incipit Cacistus:

ibo et quaeram, si quem possim sociorum nanciscier
seu quem norim qui advocatus adsit. iam hunc novi locum.
hicine vos habitatis?

respondet Gorgines:

                                        hisc in aedibus, huc adducito.
at ego vidulum intro condam in arcam atque occludam probe.
tu si quem vis invenire tibi patronum, quaerita;
perfidiose numquam quicquam hic agere decretumst mihi.

inter istos sermones et prioris folii finem quid argumenti intercessisse sibi videretur, Studemundus his fere verbis significavit (ind. Gryphisw. 1870 p. 17): ‘Gorgines, dum piscatur, fuscina vidulum icerat et in ora maritima prope myrtetum deposuerat, ipse aliud nescio quid agens (gratias ob praedam acturus Veneri, ut duodecim annis post coniecit, ceterum nihil demutans) paulum ab

eo loco recesserat. servus quidam Cacistus, qui qua de causa prope eum locum fuerit ex fragmentis dignosci nequit, Gorgini ut videtur ignotus, e myrteto prosiluit vidulumque visum pro praeda abstulit. nec tamen satis caute egerat. Gorgines enim cum aliis piscatoribus supervenit — vidulumque Cacisto invito eripuit —. frustra Gorginem commovere conatur Cacistus, ut vidulum sibi reddat'.

Haec non exscripsissem, si post Studemundum alius rectiora protulisset. quam non recta sint iam dicam. primum Cacistus servus non est, qui socios et advocatos loquatur quemque Gorgines patronum sibi quaeritare (cf. Men. 585 Most. 407) iubeat, non erum adducere. liber est ut Gorgines neque vero eum verberonem dicit v. 65. neque igitur Cacistus est de quo haec dicuntur frg. VI: *nescio qui servos e myrteta prosiluit.* ergo Cacistus est qui primus invenit vidulum, id quod etiam v. 66 docent verba *captam praedam perdidi;* qui ei eripuit non est Gorgines, ut ipsum illud fragmentum docet, sed servus aliquis. quem foris quaeri non necesse est, ipsum novimus et Aspasium vocavimus, *hominem semel quem usurpavit servitus.* aut Diniae aut Gorginis servum esse consentaneum est, ut qui ex alterius utrius aedibus in principio fabulae processerit. quod si Cacistus sic interrogat: *hicine vos habitatis?* quem cum Gorgine una adloquatur apparet, eius scilicet servum qui Cacisto vidulum invenienti et ablaturo supervenerat. Cacistus igitur cuius generis homo sit non est obscurum, illustrant condicionem eius piscatores in Rudente prodeuntes, fabula Vidulariae tam consimili ut qui utramvis recte norit ambas noverit. ex eorum numero est quibus hami et harundines quaestu et cultu sunt, qui cottidie ex urbe ad mare pabulatum eunt; Aspasii condicio esse videtur qualis Gripi in Rudente; ut is *de nocte multa impigreque exsurrexit, tempestate saeva experiri expetivit, paupertatem eri qui et suam servitutem toleraret* (Rud. 914 sq.), item Aspasius in fabulae initio fecit. Gorgines vero, etsi pauper est, locupletior tamen quam urbanus piscator et iuxta mare aedes possidens ac servum. Gorginis igitur quae partes sint in ista lite iam verbo satis fuerit dicere. ad eum confugit post altercationem cum praedatore servus, Gorgines homo liber et honestus et senex non ut ipse sibi vindicet vidulum intro conditurus est, sed sequestro accepit. ergo non Dinia sequestre, quae Studemundi opinio erat, Gorgines et Cacistus utuntur, sed Gorgine sequestre Cacistus et servus, quem quod Aspasium esse dicimus id unum in hac argumentatione ad coniecturam redit. Gorgines arbiter factus non statim iudicat, sed ne iniquius agat cum homine ignoto, Cacisto

concedit ut patronum aliquem sibi arcessat. ergo ad eam partem quae inter duo folia periit hoc fragmentum a Prisciano et Nonio servatum pertinet (I) et Gorginis verba sunt:

ánimum advortite ambo sultis. vidulum hic apponite;
ego servabo, quasi sequestro detis. neutri reddibo,
donicum haec diiudicata res erit.

item ad hanc partem Cacisti vel potius Aspasii verba (frg. II):

haud fugio sequestrum.

quae quam vere disputata sint septem versuum sermo confirmat, quem Cacistus a Gorgine eiusque servo solus relictus in scaena habet, qui sermo ut rem illustrat, ipse summa rei iam perspecta suppleri poterit:

cur, malum, patronum quaeram, postquam litem perdidi?
ne . . homo mipere   que infelix fui
vidulum qui ubi vidi non me circumspexi centiens.
verbero illic inter mo . . . . locustin . . insidias dedit.
tam scio quam me hic (a)stare, captam praedam perdidi,
nisi quid ego mei simile aliquid contra consilium paro.
hic astabo atque observabo, si quem amicum conspicer.

versu 66 *astare* (*stare A*) et 67 *consilium* (*concilium A*) Studemundus indicavit, idem v. 64 supplevit *q*[*ui*] *ubi v*[*id*]*i* et Cacisti simile consilium *κάκιστον* esse intellexit. v. 63 supplevit *ne*[*mo*] *homo miser e*[*st adaeque ut ego sum at*]*que infelix fui*, nimirum pro *p* etiam *s* legi posse vidit, et *s* Goetzio etiam probabilius visum est quam *p*. in quo supplemento displicere debet *est* ante *fui*, quorum temporum ratio non apparet. similes locos qui comparabit, velut Amph. 325 *ne ego homo infelix fui, qui non alas intervelli*, videbit Cacistum de eo tempore loqui quo vidulum invenerit nec satis caverit ne perderet, ut Gripus Rud. 1166 in simili causa: *qui te di omnes perdant, qui me hodie oculis vidisti tuis, meque adeo scelestum, qui non circumspexi centiens, prius me ne quis inspectaret quam rete extraxi ex aqua.* non igitur *ne*[*mo*] supplebimus, sed quod spatio non minus convenit *ne* [*ego*] *homo miser e* —, atque *e* — quid sibi velit ex locis discemus quales sunt Aul. 786 *quem propter hodie auri tantum perdidi infelix, miser* vel Most. 562 *ne ego sum miser, scelestus, natus dis inimicis omnibus*, ubi maledicta in se cumulare audimus homines in rebus adversis. qualia non inconexa protulit Cacistus, sed, ut etiam *que* docet, copulata:

ne [ego] homo miser e[t scelestus dudum at]que infelix fui.

nam ne *dudum* quidem quod adieci vel, quod pro eo poni potest, *hodie* superfluum aut otiosum est: loquitur ut Menaechmus v. 701 *nimis stulte dudum feci, quom marsuppium Messenioni cum argento concredidi* et in causa simili idem Gripus Rud. 1184 *sumne ego scelestus, qui illunc hodie excepi vidulum, aut cum excepi qui non alicubi in solo abstrusi loco?* deinde quid dicat v. 65, satis docent servata verba: *verbero illic — insidias dedit*; deesse nihil potest nisi unde vel quo modo insidias dederit. *inter* quod post *illic* legitur, quoniam non fuit *interim interea interibi*, aut verbi compositi prior pars est (puta *intercepit*) aut, siquidem ab *intermo* vel *intermu* tale verbum non incipit, ad nomen pertinet; id nomen non fuit coniunctum cum verbo quod est *insidias dedit*, nam in litore versanti insidiae dantur non inter rem sed ex re; ergo aliud verbum cum nomine ab *inter* pendente in traditis litteris quaerendum est. iam ascribam medias

(a)
(t)
(a)(q) d
s s t
g g e p
c o i i

litteras ut notatae sunt a Studemundo: *l o c u s t.* hinc verbum si quis quaerit rei aptum, quasi sponte exsilit, ut hic quoque admiremur incredibilem Studemundi diligentiam et prudentiam in apographo isto lectorum utilitati comparando; quasi testatus est in codice extare *latuit*. latuit insidiator *inter mo . . . .*, id est ut nomen ponam item rei aptissimum *inter moles*, quo in re piscatoria item utitur Ovidius metam. XIII, 922 *nunc in mole sedens moderabar harundine linum* (cf. II 12, her. 2, 132) et in latebris describendis item Pacuvius (apud Suetonium in Prato, p. 243 R. *moles quae eminent et procurrunt mari*) v. 395 *ómnes latebras subii, tofos, moles, abstrusos sinus*, ut emendavi tradita *latebras subleto mole*, cf. Plinius N. H. XXXVI, 166 (*tofus*) *exestur halitu maris, friatur vento, everberatur imbri.* nomen adhuc deesse lexico Plautino, id quidem dubitationem non facit, sed est quod de supplementi fide detrahat primum in codice litterarum spatium; cui *montes*, nomen non aptum, rectius convenerit, ut *moleis* vel *molles* scriptum fuisse coniciendum sit si ipsum nomen probetur. sed accedit alia dubitatio. e myrteto prosiluisse audimus servum frg. VIII, nemus igitur Veneris usque ad ipsum litus pertinebat, neque convenit rei simplicitati ut ex molibus insidiatorem in nemus descendisse, inde prosiluisse sumamus. quid igitur? redeamus ad apographon. enotavit Studemundus, pro *mo* legi posse *mc* vel etiam *mu*. tenemus Plauti manum:

verbero illic inter mu[rtos] latuit, insidias dedit.

pro eo autem quod est *insidias* scriptum fuisse *in*[*si*]*insidias* probabilius est quam graviore corruptela *in*[*de*] *insidias*.

Cacistus observare vult si quem amicum conspiciat, scilicet ex piscatoribus aliquem cum quibus ad litus advenerat. interim Dinia cum Nicodemo rure redit, quorum sermonem Cacistus aucupat. incipit Dinia:

ne tu édepol hodie miserias multas tuas
mihi narravisti, eoque ab opere maxume
te abire iussi, quia me miserebat tui,

tum ex Cacisti verbis

illic est adulescens quem tempestas —

comperimus eum naufragii aliquo modo testem fuisse et inde Nicodemum novisse; Diniam vix noverit qui vicinum eius et aedium regionem (57 *iam hunc novi locum*) hodie primum vidisse videatur. haec ad argumenti continuationem pertinent; ceterum dimidia pars eorum quae post v. 71 servata sunt (v. 72—82) tam misero modo lacerata est, ut de restituendis poetae non verbis tantum sed et sententiis plerumque vix cogitari possit. sic de v. 72—74 nihil statuere audeo, nisi aliqua fuisse Nicodemi verba, quem et ipsum locutum esse sequentia demonstrent. excipit eius sermonem Cacistus v. 75:

in opus ut sese collocavit quam cito.
pol haud cessavit, postquam terram attigit.

hic Diniae ex Nicodemi verbis nati in mentem venisse videtur (78 *nos* (*t*)*uos parentis*, cf. Rud. 742 sq.). tales fere fuisse possunt v. 79 sq.:

N. rem mihi na[rravisti]. edepol simul [tecum fleo].
D. Puer is mihi [periit, fors fuat an te egeat ma]gis,

nam sequitur Nicodemi responsum

D. egentiorem [me ho]mine(m) n[atu]m neminem
neque esse cred[o neque fuisse] neque fore

quorum versuum priorem ego supplevi, alterum Studemundus. quae secuntur folii ultima ut facile leguntur (tantum v. 90 Winterus recte scripsit *dices*, quod fortasse in *A* est, pro *dicis*) ascribam in lectoris commodum:

D. Cave tu istuc dixis. immo, etiam argenti minam,
quam med oravisti ut darem tibi faenori,
iam ego adferam ad te. faenus mihi nullum duis.
N. Di tibi illum faxint filium salvum tuum,

qum mihi qui vivam copiam inopi facis.
sed quin accedat faenus, id non postulo.
D. Defaenerare hominem egentem hau decet.
quam ad redditurum te mihi dices diem,
cave demutassis. N. Vsque donec solvero,

hic codex deficit.

Sed non plane fragmentorum ope a grammaticis traditorum destituti sumus. ex quibus, quamvis pauca sint, quattuor ad eam partem fabulae pertinent quae codicis reliquias continuo excipiebat. nimirum iam in eo esse, ut Cacistus aut Nicodemum, quem novit, aut Diniam aut utrumque patronum sibi advocet, ipsa res docet. fieri potuit ut Dinia introiret argentum prompturus, potuit ut Nicodemus domum ad Gorginem se reciperet, potuit etiam ad colloquentes Cacistus accedere. certe ipsam rem qualis gesta erat postquam vidulum invenit narrare debebat ei quem sibi advocatum adesse vellet. ex ea narratione tradita sunt fragmenta IV—VII:

ibi ut piscabar, fuscina ici vidulum,

icit scilicet vidulum, extractum demum *vidit* (v. 64).

nescioquis servos e myrteta prosiluit,

ubi cum praesenti verbi tempore senarium restituendum esse fragmentorum conexus persuadet, *per* pro *e* a Porphyrione recte traditum esse crederem, si *per myrteta prosilit* latinum esset.

quid multa verba? plurimum luctavimus,

scilicet Cacistus cum servo.

nunc apud sequestrum vidulum posivimus,

scilicet Cacistus et Aspasius apud Gorginem. haec omnia iam tam liquida sunt ut verbum addi non opus sit.

Deinde quem progressum fabulae argumentum habuerit non difficile dictu est. Nicodemus vidulum agnoscit, ipse a parentibus agnoscitur. sed non ipse tantum, verum puella quoque, cui Soteridi nomen est, a suo patre agnoscitur, quem Gorginem fuisse probabile est. agi omnino de puella nesciremus nisi Priscianus haec verba adferret (frg. XII), Nicodemi videlicet: *immo id quod haec nostra est patria et quod hic meus pater, illic autem Soterinis est pater.* sunt qui haec duos senarios esse serio opinentur, quod mireris. ab initio ne sermo quidem sanus est, versus inde ab *hic* vel *quod hic* septenarius trochaicus esse potest. quem compellet Nicodemus non apparet, sed habuisse fabulam etiam amores et alia quae ignoremus praecipue docet frg. XVI *nunc servus argentum a patre expalpabitur.* lenoni vero (cf. frg. XIX) in regione piscatoria qui locus fuerit non facile intellegitur.

Sed ad ea redeamus quae notum ac praecipuum fabulae argumentum continuant. de agnitione fragmentum extat quod ostendit rem postea narratam esse personae quae in ipsa causa non praesens fuerit, narratam praesente ut videtur Nicodemo; puta Diniam uxori narrare (frg. XI):

signum recte comparebat. huius contendi anulum.

omnino autem agnitionem intus peractam esse nec argumenti natura credi sinit nec Rudentis exemplum; nimirum lis Cacistum inter et Aspasium non minus ante spectatorum aures diiudicanda erat quam argumenti nodus palam agnitione explicandus. atque ad hanc quidem pertinet fragmentum X

oppositast calcendix. N. At ego signi dicam quid siet.

ad eandem scaenam, in qua scilicet intellegeretur quantum scelus fuisset si Cacistus vidulum furatus esset, vel, si de servo magis quam de Cacisto sermo esse videtur, ad similem certe quae altercationem habuerit inter piscatores, haec duo fragmenta pertinere videntur (XVII. XVIII):

malo hunc adligari ad horiam,
ut semper piscetur, etsi sit tempestas maxuma

et

iuvenem hunc insui in culleo
atque in altum deportari iussi annonam bonam
piscibus.

quae comparari possunt cum Rudentis versibus 1059 *homini ego isti talos suffringi volo*, 1178 *ecce Gripi scelera* e. q. s.

De quorum fragmentorum interpretatione antequam dici potest, quaerendum est de fide eorum vel potius de Fulgenti fide, qui in Expositione sermonum antiquorum utrumque servavit. neque enim satis est sublestam eius fidem dicere et fragmenta dubiis adnumerare, quorum alterum ita comparatum sit ut Plautus Plautinum magis facere nequeat, alterum corruptum quidem sed olim fortasse non deterius.

Multa Lerschius recte exposuit post alios de auctoribus a Fulgentio ementitis, primus de versibus ab eo confictis; quae dum refutare studet Klotzius (in suorum annalium XLIII p. 71 sq.), ipse erravit. sed causae difficultas in eo posita est quod mala fraude ad nota aliorum impostorum exempla inventis nebulo immiscuit genuina et nulli suspicioni obnoxia. ex Plauti autem vi-

ginti unius fabularum lectione quae schedulis intulerat et memoria tenebat, eis maximam partem Expositionis suae superstruxit, non tantum exemplis Plautinis utens sed etiam verbis Plautinis ad nova exempla dolo malo confingenda abutens. quo in negotio fraudatorio ipsi Plauto miram fidem praestitit. ex octo vel, si adsumpseris Continentiam Virgilianam, ex novem fabulis sermonis exempla praebet, quattuor alias novit, nullius non servatae nomen adfert nec nova nomina fingit ut in aliis solet, nisi quod Bacchides bis Bacchidem, semel, et in Chrysali quidem verbis adferendis, Chrysalum vocat, Vidulariam semel vero nomine, semel (frg. XVII) Cacisti, cui ipsa verba tribuenda esse inde non praeter rationem concludas. Casinae quinque versus 95 (s. *sutela*) 267 (s. *friguttis*) 347 (s. *textiuilitium*) 495 (s. *isculponea*) 552 (s. *catillare*) hoc ordine nulla alia glossa interiecta attulit, et glossis et subinde verbis male habitis, sed ut manifestum sit eum ex ipsa fabula versiculos enotasse. item ex ordine attulit Bacchidum versus ex amisso exordio v. 11 (s. *mnasiterna*), v. 278 (s. *istega*), deinde (intermissis *lembo* et *ramenta*, altero cum Vergiliano altera cum falso testimonio, quae vocabula Bacch. 279 et 513 leguntur), v. 887 (s. *ueruina*), ut qui illud Bacchidum fragmentum (v. 11) a Festo Fulgentium accepisse contendat re ipsa refutetur; immo hac quidem in causa fides Fulgenti ipso Festi testimonio comprobatur. item comprobatur illustri exemplo eius versus quem Fulgentius in Continentia Virgiliana adfert ex Cistellaria (*quid? tu amicam times ne te manuleo caiet?*), qui nusquam fidem inveniebat antequam in Ambrosiano comparuit (v. 252), non verbis quidem plane eisdem conceptus et ut de verbo caiandi dubitatio restet, sed comparet tamen. fidei autem excerptoris nihil detrahit quod Menaechmos pro Poenulo appellat (s. *pollinctores*), ubi causa erroris in similitudine prologorum conspicitur, memoriae igitur error est, vel causa simili Asinariam pro Pseudulo (s. *promus condus*), cf. Asin. II 4, Curculionem pro Sticho, vel Mercatorem pro Milite (s. *luscitosi*) ubi causa non apparet. bis tantum Plautum nuncupat sine fabulae nomine (s. *flocci* et s. *cistella*) adlatis versiculis qui ut adfert in fabulis servatis non leguntur, uterque eius generis ut facile ex similium locorum memoria fingi ab homine vano et mendace potuerint: *flocci pendo quid rerum gerat* (cf. Lerschius p. 61 et qui glossam vindicat Loewius gloss. nom. p. 156), *cistellam mihi offers* (vel *affers*) *cum crepundiis*, cf. Cistellariae versus a Lerschio p. 69 compositos et Rud. 1363 *cistella exceptast modo cum crepundiis*, v. 1085 *nil peto nisi cistulam et crepundia*, quem non facilius restituas quam ut scribas *cum crepundiis;* ad verbum etiam propius

accedit Ter. Eun. 753 *cistellam, Pythias, domo effer cum monumentis* (cf. Goetzius p. 186), sed Terentio non utitur Fulgentius. tertium huius generis versum quasi ex Milite glorioso promit s. *exercitus: itane nos nostramque familiam habes exercitam?* similem, ut Lerschius vidit, Bacchidum fragmenti a Nonio servati, coniunctum cum vero Militis versu pessime distorto. de his tribus versibus cohibendum est iudicium, de reliquorum ex certis fabulis adlatorum fide nulla esse potest dubitatio, ergo ne de illis quidem duobus ex Vidularia vel Cacisto servatis. de singulorum verborum fide sane magna dubitatio esse debet. sed ne in ea quidem aestimanda caremus ratione. sane admodum neglegenter ille ex 'memoriae entheca', ut ait, protulit nonnullorum versuum (Cas. 552, Stich. I 3, Bacch. 11. 278. 887 Mil. 93) fractas reliquias; alios vero non peius habuit quam neglegentiorum compilatorum alii (Poen. 63 Mil. 321 Cas. 95. 267. 347. 495 Pseud. 608). vides eum e Casina accuratius quam e Bacchidibus excerpta in schedulas coniecisse, e Milite accuratius in initio opusculi versum tradit quem Mercatori ascribit quam in fine alterum. accedit autem, quod in nostra causa maximum est, ut auctoris levitati successerit levitas librariorum, quam in versibus non a Fulgentio servatis facili negotio corrigimus, in aliis non item; atque in illis quoque certiorem librorum memoriam desideramus quam priorum editorum et Lerschii exiles copiae praebent, ut qui eam comparare velit non perditurus sit opellam.

Constat igitur et e Plauti Vidularia sumpta esse duo illa de quibus loquimur fragmenta et corruptelae emendationem temptandam esse antequam traditae ineptiae Fulgentio tribuantur. atque alterum quidem quod est

malo hunc adligari ad horiam,
ut semper piscetur, etsi sit tempestas maxima

(ubi *aliqua* pro *maxima* est in Bruxellensi altero, in Gudiano quem saeculi X. esse dicunt et aliis) et mendo et suspicione caret. contra verba quae parricidae poenam piscatori minantur, tota in suspicionem vocavit Lerschius et alii eum secuti, licet nihil prorsus ille protulerit quod ad rem pertineat. verba in Bruxellensi 9172, cum quo conspirare videtur Leidensis Munckeri (nam Lerschius plenam adnotationem ne adfectat quidem), sic concepta sunt: *iuvenem hunc insui in culleo atque in altum deportari iussi annonam bonam piscibus*, nisi quod *piscibus* solus omittit, ut *in altum* solus Bruxellensis alter, utrumque iniuria; in hoc praeterea *in* omissum est et positum *hunc iuvenem*, consentiente secundum Gerlachium et Rothium codice Gudiano. dicendum autem ex usu videtur aut *in*

culleum, *εἰς ἀσκὸν ἐνράψαι*, aut *culleo*, cf. quae attuli vindic. Plaut. p. 5; quamquam ne *in culleo* quidem ratione caret. sed hoc verborum sensum non tangit. ineptum est in sermone illo *iussi*, nam re vera culleo insui et cibus piscibus praeberi homo in fabula Diphilia aut Plautina non poterat, ut Melanthium Archippus in Piscibus *ὡς ὀψοφάγον δήσας παραδίδωσι τοῖς ἰχθύσιν ἀντιβρωθησόμενον* (Athen. p. 343 c), quem locum cum Plautino composuit Frantzius de comoediae atticae prologis p. 41. praeterea Plautinum non est *iuvenem*, nam Plautus adulescentem dicit non iuvenem. utriusque mendi communem originem si quaerimus, verbum quo sententia eget et sententiam simul restitui apparet Merceri et Studemundi emendatione: *iuben hunc insui in culleo*, ut *iuvenem* lenissime, deinde *iussi* gravius corruptum esse intellegamus. sed tertia accedit offensio. nimirum id quidem recte dixit Lerschius, *annonam bonam* hominem dici non posse ut *pabulum* Rud. 513 (*piscibus in alto credo praebent pabulum*). deficit igitur verbum quale praesto est in Astrabae fragmento II: *axitiosae annonam caram e vili concinnant viris*. atque probabile est eandem corruptelam, quae ineptum verbum quod est *iussi* sermoni intulit, id quo carere nequit expulisse. ipsum verbum ex traditis litteris expiscari non contingit, nec mirum est in scriptore tam neglegenti. sed confinia versuum discribere licet et arbitrium coercere coniectandi. septenarium dimidium haec faciunt: *atque in altum deportari*, exit versus in *annonam bonam*, incipit sequens a *piscibus*, exit primus in verba quae ab initio relicta sunt *iúben húnc insui in cúlleo*, ubi hiatum, qualis frequens est in codicibus, inserto *hominem* removere possis. talis igitur fragmenti forma evadit:

iuben hunc insui in culleo
atque in altum deportari, ut faciat annonam bonam
piscibus?

cum quibus verbis si conferimus alterum fragmentum Fulgentianum: *malo hunc adligari ad horiam* e. q. s., nonne apparet his verbis responderi ad illa et aliud poenae genus opponi levius quidem auditu, sed quod in piscatore re vera adhiberi posse videatur? ceterum qua ratione ad personas hi sermones referendi sint non disceptabimus amplius, ne inepti fiamus. illud probabile esse dico, septenarium sic exeuntem *malo hunc adligari ad horiam* eum ipsum ad suum finem perducere qui incepit a *piscibus*. quod ut ante oculos lectori ponam, simul aliam prioris fragmenti quae esse potuerit formam indicabo:

A. Iuben hunc insui in culleo
atque in altum deportari, suis ut annonam bonam

piscibus [concinnet]? B. Malo hunc adligari ad horiam,
ut semper piscetur, etsi sit tempestas maxima.

Quae restant fragmenta, de eis verba facere nihil attinet. namque fragmentum III

malim moriri meos quam mendicarier:
boni miserantur illum, hunc inrident mali

(cf. Bacch. 397 *illum laudabunt boni, hunc etiam ipsi culpabunt mali*) in priore fabulae parte locum quemlibet habere poterat; reliqua duo:

nam audivi feminam ego leonem semel parire

(ubi *feminam* et *leonem* versu coniungi probabilius est quam discerpi) et

ubi quamque pedem viderat suffurabatur omnes

quo pertineant effici nequit.

De prologo quae dicam sane habeo, nec volo celare; sed breviter et in transcursu res transigi nequit cum aliis et alius generis quaestionibus necessario coniuncta. est autem ex eorum genere Vidulariae prologus qui cum fabula et argumento eius vix conexi extrinsecus quasi ad fabulam accedunt. ergo de ipsa Vidularia sic satis disputasse videbimur.

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.
WILH. FR. KAESTNER.